

DE CÆMETERIO

BASILICÆ PISANÆ.

De Situ, ac partibus exterioribus.

CAPUT XVI.



Tertium mirandum ædificium adeamus, Basilicæ nimirum Cæmeterium, Campum Sanctum nuncupatum. Quo quidem Campi Sancti nomine haud immeritò decoratur vel ob Terram Sanctam ibidem existentem; vel ex eo quod in illo Deus, ut inquit, eruditissimus P. Bonannus in Templi Vaticani Hystoria cap. 24. suam sementem ac segetem habeat, quam sub finem Mundi demettet, & in cæleste horreum invehet. Quod etiam innuere videntur verba in externo ejusdem Cæmeterii lapide expressa, videlicet: *Si quis in isto Campo sepultus fuerit, & penitentiam egerit de commissis vitam possidebit æternam*: Ut autem ejusdem molis magnitudo, situsque clarius cognoscantur illius vestigium seu Ichnographicam tabulam cum mensuris ob oculos subijciemus. Hujus igitur fabricæ latitudo est palm. 160. & ultra. Lōgitudo verò ad palm. 550. extenditur demptis parietibus. Proindeque totum ædificium comprehensis quatuor partibus, nempe, juxta Varronem de lingua lat. lib. 6. sinistra ab Oriente; dextera ab Occasu; antica ad Meridiem; postica ad Septentrionem palm. 1500. & amplius in gyrum excurrit. Opus hoc ad latitudinem, altitudinem, & longitudinem Arcæ Noe nonnulli ferunt

extructum. Verùm potius ædificium hoc, inverso tamen columnarum ordine cum intus sit, interiorē partem Templi græce Hypætros nuncupati redolere videtur. Etenim Templum Hypætros, juxta formam à Vitruvio lib. 3. cap. 1. allatam columnis quaquaversum circumdatur à parietibus distantibus, ita ut inter columnas & parietes ambulacrum remaneat; medium verò subdio & sine tecto est. Hujus Cæmeterii facies meridionalis albo ex marmore incrustatur, ac quadraginta quatuor marmoreis parastatis, columnarum forsitan externarum præmemorati Templi Hypætros formam præferentibus, exornatur. Per duas januas patet aditus: Harum alteri imminet miraculosa Imago D.N. Jesu Christi Cruci affixi ex marmore à supradiçto egregio Viro Nicolao Pisano, ut ajunt, exculpta; alteri verò eminet Beatissimæ Virginis puerum amplexantis effigies marmorea in suo marmoreo loculamento à laudato Joanne prædicti Nicolai fratre, ni fallor, elaborata. Hanc prope januam sequentia carmina per vetusto charactere & abbreviatè incisa sunt.

*Aspice qui transis, miserabilis inspice quis sis,
Tali namque domo clauditur omnis homo.
Quisquis ades, qui morte cades, sta, perlege, plora,
Sum quod eris, quod es, ipse fui, pro me,
precor, ora.*



30 20 30 40 50 60 70 80 90 100

Scala palm. 100 Rom.

Scenographia Cemetery Basilica Pisane, et Ichthyographia

Joseph et Franc. Milani delin. Pisae

Dominic. Marianus Franciscus Sculp. sup. petm.

Theatrum Basilicæ Pisanæ.
De partibus Interioribus Cæmeterii.

III

C A P U T XVII.



INTUS in medio Cæmeterii reperitur, ut jam exposuimus, amplum atrium subdio, & nullo silice tectum. Ibi terra sancta visitur in tres partes divisa; quam terram ex Orientalibus plagis allatam Pisanorum historia docet. Hujusmodi atrium columnis, seu marmoreis parastatis, quibus incumbunt arcus, quaquaversum cingitur, ita ut in fronte sex supra basim assurgant parastatæ, totidem in adversa parte, in lateribus verò exclusis duabus, quæ Frontibus etiam communes sunt (utpotè in angulis positæ) vigintiseptem utrinque. E pavimento in intercolumniorum spatiis attollitur soccus marmoreus, qui columellas suffulcit marmoreas ornamenta sustinentes decorè, eximieque sculpta; hisque omnibus magnus ac pulcherrimus fenestrarum ordo conficitur, ut ex ipsa Tabula cognosces. Per sex magnas Januas in intercolumniorum spatiis efformatas in idem atrium patet ingressus. Harum altera in medio frontis; altera in parte opposita; reliquæ verò in parte boreali, ac meridiana æqualiter distribuuntur. Inter columnas seu parastatas, & parietes interjacet ambulacrum tam in lateribus, quàm in fronte, ac in adversa parte ejusdem latitudinis, nimirum palm. 42., & Universum ambulacri pavementum albo ex marmore lineis cæruleis marmoreis distincto elaboratum est. Parietes omnes Picturarum decore illustrantur, de quibus infra in cap. 19. Tectum ferè totum est laminis plumbeis stratum, trabibus, ac tigillis affabre compactum. Sedilia marmorea intus duplici ordine decurrunt in gyrū, nempe subter earundem fenestrarum ordinem, ac in opposita è diametro parte prope muros depictos. Hoc in loco plurima substructa cernuntur sepulchra; plures illustrium Virorum herent parieti tumuli à præstantissimis opificibus mirifice elaborati; plures etiam, ut annuimus, eodemmet in agro sub dio marmoreæ ac vetustissimæ prominent arcæ. A sinistris introeunt in duo

cernuntur Oratoria; In fronte assurgit insigne sacellum D. Hieronymo dicatū ac sumptibus Archiepiscopi Caroli Putei Pedemontani excitatum; ubi in ara visitur tabula D. Hieronymi ab Aurelio Lomio egregio penicillo depicta. Altitudo ædificii, si sumatur usque ad coronidem, est palm. 80. si usque ad culmen tecti, palm. 100. explet. Opus hoc respectu soli à Capitulo Pisano accepti ubi terra Sancta, quam supra memoravimus, locata fuit, inceptum est anno 1200. Archiepiscopo Ubaldo: ut ex vetustissimis monumentis eruitur, Anno verò 1278. juxtà Pisanum stylium, idem terræ spatium marmoreo claustro à prælaudato Joanne Pisano exornatum fuit Archiepiscopo Friderico, prout constat ex sequenti epigraphe in externo lapide sculpta, videlicet

Anno Dñi M. CC. LXXVIII. tempore Domini Friderigi Archiepiscopi Pisani, Domini Tarlatti Potestatis, Operario Orlando Sarella, Joanne Magistro ædificante.

ex altera tamen inscriptione in parastata interiori expressa constat plures fenestras fuisse perforatas anno 1464. Archiepiscopo Philippo de Medicis.

Porro hujus Cæmeterii elegantia mirabilis; & quidem jure, ac meritò religiosissima Svecorum, Gothorum, Vandalorumque Regina Christina Alexandra, cum illud intueretur, nobile musæum appellavit. Nam idem haud tenebricoso horrore perfunditur, sed sole irradiante ubique clarescit. Atrium, & ambulacrum, tam quoad amplitudinem, quam quoad lapidum structuram quid Regium ac magnificum continent. Præclaræ huic nobilitati splendorem addunt non exiguum illustria tum Sculpturæ, tum Picturæ, tum Architecturæ monumenta. Admirabilem Architectura plurium sepulchrorum concinnitatem & symmetriam exhibet. Ad stuporem etiam Sculptura in figuris marmoreis ostendit artificium; ex prædictis siquidem vetustissimis arcis Nicolaus & Joannes celeberrimi Pisani Scul-

ptores artis politioris susceptâ methodo , ut notat Vasarius lib. 1. pag. mihi 98. , eam in meliorem formam revocarunt . Pictura quoque omnium oculis variâ , pulcherri-
mâque colorum scena blanditur ac optimis delineationibus sacra Veteris ac Novi Te-
stamenti myſteria eleganti diſpoſitione , demonſtrat . Hic etiam præſtantiffimi quondam ſcientiarum Profeſſores , ac Pi-
ſani publici Gymnaſii clariffima Sydera , videlicet Curtius , Vegius , Decius , alii-
que complures ex urna ſepulchrali exqui-
ſitiſſimas habent lectiones , ad antiquos quippe dies , & annos æternos mente re-
volvendos omnes erudiunt .

Ædificium hoc plures eruditiffimi Viri ſingulari laudum præconio illuſtrarunt ; quos inter enumerantur præmemorati U-
ghellius , Troncia & Vasarius ; nec non Petrus Vandenbroekius præceptor meus humaniſſimus in ſua Alpheæ Panegiri in-
ter poemata pag. mihi 45. ita cecinit .

Viſne alia hic Patrię monumēta inſignia Dive

Nunc incumbē animis , Tibuſco pulcherrima cultu

Se late attollent fatali tectâ quieti

Sacrata , exequiis ſolis , & lumine caſſis

Sacrati campi , ſic illos nomine dicent ,

Namque humus à Solymis magno calcata

Tonanti

Huc placidis ventis , & ſacra Claſſe feretur

Quæ gelidos artus , quæque oſſa exanguia

condat ,

Accipiatque ſinu . Sed longe plurima circum

Porticibus latis late apparebit imago

Principio primi magna incunabula mundi

*Viſere erit , primosque (nefas) cecidiſſe pa-
rentes*

Dum miſeri ramis inbiant fatalibus ambo

Has etiam Æthereas arces , inviſaque nobis

*Lurida tectâ Erebi , merſosque in tartara
manes .*

Tum quidquid ſacris cecinere oracula libris

Vivida ſigna canent animoſo picta colore .

*Mirum opus , & toti ſolum admirabile
Mundo .*

De Cæmeterii Sepulchris.

CAPUT XVIII.



ICENDUM modò est aliquid de tumulis in particulari in eodem Cæmeterio existentibus, nam illis ferè undique totus locus affluit. Ex his alia subter pavementum marmoreum substructa, seu concamerata sunt, & hæc numerum 600. excedunt. Alia eodem in agro prominent, ut sarcophagi & arcæ; & hæc numerum 60. explent. Alia numero inferiora vel è supradicto ambulacri pavimento consurgunt; vel pictis parietibus adhærent. Quod spectat ad primum sepulchrorum genus nil ornamenti speciali nota dignum meo iudicio visitur, quam eorundem pars superior, quæ, cum sit ejusdem Cæmeterii pavementum, è marmore lineis cæruleis, ut exposuimus, distincto, constructa est. Quoad secundum genus, nimirum sarcophagos & arcas plura notanda sunt; nam omnes etsi non ejusdem amplitudinis, peculiari tamè digni sunt animadversione, cum omnes antiquitatem redoleant, ac ex longinquis regionibus huc usque translati sint inter alia opima spolia, manubiasque à victis hostibus reportatas, ut præter cæteros notat idem laudatus Vassarius lib. 1. fol. mihi 79. Ex prædictis sarcophagis nonnulli, ut opinor, fuerunt veterum Christianorum; siquidem in ipsis Pastoris effigies ovem super humeros gestantis exprimitur, quod Christi Reparatoris nostri hieroglyphicum esse neminem latet; cæteros verò Gentilium extitisse arbitror; in ipsis enim veterum Imperatorum, Dearumque imagines, Leones, Venationes, bacchanalia, Fauni cū Nymphis, Hippocentauri, aliaque hujus generis emblemata sculpta sunt. Ex his illos, qui Leones inter ungulas animal arreptum exhibent virorum fortium extitisse ambigendum non est; siquidem Leones in symbolum fortitudinis fuerunt expressi; testis est Pausanias in Boeticis, ac tumulis Thebanorum, qui in acie adversus Philippum gloriosè occubuerunt. En ejus verba: Προσιόντων δὲ τῇ πόλει πολυάνδρων Θηβαίων ἐστὶν ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον ἀγῶνι ἀποθανόντων οὗτοι ἐν ἐπιγρᾶταις δὲ ἐπιγράμματα, ἐπίσημα δὲ ἐπὶ αὐτῷ λέων.

Proximo Urbi loco comune est Sepulchrum Thebanorum, qui in pugna contra Philippum defuncti sunt inscriptio nulla quidem inscripta est. Insigne verò tumuli Leo. Elegantem etiam Romæ sarcophagum inspeximus in Villa Excellentissimi Ducis Matthæii, ubi duo Leones sarcophagum ipsum sustinent, cujus iconismum refert Sponius in suis miscellan. eruditæ antiquitatis sect. 2. art. 9.

Alios autem sarcophagos, qui supra operculum Virum, & fœminam brachiis innixos exhibent veterum Romanorum fuisse autumo. Virum enim, & Fœminam arbitror Alexandri Severi Imperatoris, & Juliæ Mameæ matris effigiem præferre. His haud absimile Romæ visitur exemplar in atrio Capitolii lateris introeuntium dextri, ubi hæc verba expressa sunt

S. P. Q. R.

Monumenta sepulchralia Alexandri Severi Imperatoris, & Juliæ Mameæ matris; Sabinarum etiam raptum ob pacem de novo initam marmore insculpta, ornataque in agro Fabritii Lazari extra portam Labienam reposita in Capitolium poni jussit.

Veterum quoque Romanorum fuisse illas urnas existimo in exteriori parte exhibentes opere anaglypto hieroglyphicum Concordiæ ab eisdem Romanis cultæ, videlicet imagines duas dexteram dexteræ jungentes, cujus iconem affert Lilius Gyrald. hist. Deor. col. mih. 33. Eorundem etiā Romanorum arcas illas esse autumo, ubi nonnullæ Virorum & Fœminarum figuræ conspiciuntur dexterâ complicatum volumen retinentes; quod non senatoriæ solum & consularis dignitatis; verum etiam alterius dignitatis indicium est; licet non pauci volumen hoc Christianorum signum esse existiment, ut ex aliquibus numismatum monumentis ostenditur, ubi Arcadius, & Honorius Imperatoris Theodosii filii dexterâ complicatum volumen detinent. Ac veteres Christiani, ut refert

præmemoratus Ciampinius d. lib. 1. vet. mor. c. 16. tam pretiosum, carum ac venerabile Evangelium duxere, ut vel pendulum collo, vel pectori impositum cunctis diebus vitæ suæ gestarint; ita habetur ex D. Jo. Chrysostomo in Mathæum hom. 3. & ex actis S. Cæcilæ, nec non ex D. Hieronymo in cap. 23. Math. Quia & post funera vivebat amor tam sacri pignoris, quare & cum eo thecis argenteis, æneisque, aut plumbeis pro facultate cujusque obsignato sepulchris mandari jubebant, quod plurima cadavera, seu loculi confirmant in pervetustæ Basilicæ Vaticanæ demolitione cum iis reperta. Ipsorum etiam Romanorum arbitror extitisse Sarcophagos illos, in quibus visuntur sequentes inscriptiones, nimirum:

T. CAMVREN.
MYRONIS

D. M.
T. AELIVS. AVG.
LIB. LVCIFER.
VIBVS. SIBI
POS. II. T.

D. M.
I. IVLIVS LARCIVS
SABINVS IRIBE BOVIVI.
XII. ANNIS. XXVII. DIB.

Veterum verò Græcorum arcas illas esse suspicor, ubi opere semianaglypto in exteriori parte exprimuntur varia Monstræ marina Nymphas in fluminibus gestantia, citharâ, tibiisque canentia. Siquidem eorundem Græcorum insania mortuorum animas, quas Nephes appellant Hebræi (quod idem sonat ac nomen Nymphæ) in locis antea sibi benevisis ac deliciis affluentibus morari putabar, ut notat Morerius in suo Dict. Gall. sub. lit. N. in fin.

Eorundem quoque Græcorum urnas extitisse puto, ubi visuntur eodem opere anaglypto Bacchanalia, Fauni, Hippocentauri & alia hujus generis animalia, de quibus an extiterint Vid. Balthassarem Bonifacium Rodiginum in sua Hist. ludicr. lib. 7. cap. 16. ac Natalem Comitem lib. 7. cap. 4. Similiter & illas Græcorum esse haud am-

bigendum, ubi cernuntur venationes, inter quas visitur illa Meleagri una cum Græciæ juventute aprum Calidonium insectante, de qua Ovid. lib. 8. Metamorphos.

Quo verò ad tertium sepulchrorum genus, cum ex his alia sint sublimiora, alia inferiora; ut citius me expediam nonnulla seligam, ac illa breviter percurram. Quamobrem prope Regiam Januam sese offert sepulchrum Servi Dei de Pace Pisani, ut ex sequenti inscriptione eruitur.

D. O. M.

*Nobile Joannis gaudet de Pace Sepulchrum
Quod cernis lector spiritus alta tenet.
Hunc inter Silvas claris natalibus ortum
Degentem casto pellit amore Deus.
Delubra ut Pisis tenui Betsaide creto
Conderet, at Triadi templa sacrata prius.*

In fronte Cœmeterii supra mutulum prominet Bartholomæi Chesii Pisani effigies in marmore ad vivum expressa. Hic in Patrio Licæo maximus legum fuit interpres, ut ex ejusdem edito volumine non obscure liquet; Nec Religionis ac Pietatis minimus cultor extitit, dum omnes suorum laborum fructus in pauperes Virgines, vulgò nuncupatas *della Carità*, liberaliter distribuit, quæ grati animi ergo sequens monumentum posuere.

D. O. M.

Bartholomæi Chesii in Patrio Pisano Licæo maximi legum Interpretis imaginem hoc marmore expressam Charitatis Domus hæres ex asse, ejusque sex viri posteritati, & gloriæ posuerunt, obiit an. sal. M. DCLXXX. ætatis suæ LXXV.

Non procul assurgit marmoreum ac pulcherrimum Matthæi Curtii Ticinensis Sepulchrum, cujus marmorei ornamenti iconem ex Tabul. 26., altitudinem verò palm. fere 50. ex Tabul. 25. cognosces. Opus hoc elegans à celebri Sculptore Antonio Laurentio de Settignano elaboratum fuit, ut notat Vasar. par. 3. pag. mihi 289. delineatum verò à laudato Viro Nicolao Tribolo Florentino. In eo prominet urna cum

cum duobus hinc, atque hinc ollis cinerariis, vel potius lucernis. In medio Urnæ lapide obductæ visitur elegantissimum ipsius Curtii simulacrum brachio sinistro innixi, manu dextera clauso libro superimposita. Ibidem etiam sequens inscriptio inculpta legitur:

D. O. M.

Matth. Curtio Ticin. qui Hipp. Galenique vindex salutis augurium egit, medicinamque exercendo, & docendo ipse valens semper excoluit mon. hoc amplius, quam filii T. P. I. Cosmus Med. Flor. Dux. II. ære suo P. G. M. D. XLIII. vix. an. LXX.

Sequitur Cenotaphium cum simulacro celeberrimi Viri Juliani Viviani Pisani olim hujus Basilicæ Decani, ac in Patrio Gymnasio Sacrorum Canonum Professoris, postmodum Insulæ Urbis Antistitis, ac demum Cosentini Archiepiscopus infulis decorati; Inscriptio est ita.

D. O. M.

Juliano Viviano Antonii filio doctissimo Juris utriusque Professoris, qui Pisanum Gymnasium doctrinæ præstantia, Patriam, & genus nominis claritate jus Pontificium immortalibus ingenii monumentis illustravit; qui amplissimos in Patria honores adeptus ampliores meritis ad externos quoque lumen gloriæ suæ diffudit, & Urbano VIII. Pont. Max. ob integritatem vitæ, morumque candorem acceptissimus Insulæ Urbis Antistes, & Comes ac deinde Cosentinus Archiepiscopus creatus est, majora consequuturus, nisi morte fuisset in medio bonorum cursu interceptus; Hanc corporis imaginem, cum animi extet in libris, & memoria posterum Cosmus Vivianus fratris filius posuit ann. salut. M. D. C. IIIC.

In proximo Sacello visitur sepulchralis lapis Caroli Antonii Putei hujus Primatialis Basilicæ Archiepiscopi cum hâc inscriptione.

D. O. M.

*Carolus Antonius Puteus
Francisci Comitis Ponderani filius
Archiepiscopus Pisanus &c.*

Diem Mortis

*Et Universalis Resurrectionis cogitans
Locum hunc vivens sibi statuit*

Pro cadavere suo reponendo

Quando Divinæ Clementiæ visum fuerit ipsum ab hoc sæculo nequam eripere anno Domini M. DC.

Deinde attollitur nobilissimum marmoreum sepulchrum præstantissimi Jurisconsulti Joannis Boncompagni san. mem. Gregorii XIII. Summi Pontificis fratris Patruelis ab egregio artifice Stagio affabrè exculptum. Hoc non solum amplitudine, sed etiam variegati marmoris nitore cætera monimenta antecellit. In ejus medio Charitatis; hinc inde Fidei, ac Spei simulacra confurgunt; E plano supra soccum elegans prominet Urna sequenti inscriptione subter expressâ. Exemplar reperies in præc. Tabula 26. sub fig. 2. mensuram verò ex Tabul. 27. accipies.

D. O. M.

Gregorius XIII. Pont. Max. Patria Bonon. præstantissimo Jurisconsulto Joanni Boncompagno fratri patrueli probatissimis moribus eximia pietate, omnibus denique animi dotibus ornatissimo Pisis dum in primo loco maxima celebritate jus interpretaretur anno ætatis suæ XLI. sal. hum. M. D. XLIII. extinct. Hoc ad restituendam jucundissimæ agnationis memoriam fieri mandavit anno salutis M. D. LXXIII. Pont. sui III.

Proxime occurrit elegans celeberrimi Decii Mediolanensis sepulchralis urna ab eodē insigni sculptore Stagio artificiosè albo ex marmore elaborata; cujus exemplar in supradicta Tabula 26. fig. 3. exhibuimus: Supra eandem Urnam visitur ejusdem Decii simulacrum jacens manu sinistra caput, dexterâ verò referatum codicem sustinens. Idem Decius de morte cogitans sepulchrum hoc, ne posteris suis crederet, sibi confi-

conficiendum curavit, prout in ibidem posito lapide expressum cernitur, videlicet:

D. O. M.

Philippus Decius, sive de Dexio Mediolanensis Jurisconsultus celebri fama notissimus, cum primum locum studii in jure Canonico, vel Civili tenuisset Pisis, Senis, Florentiæ, Papiæ, & demum ultramontes in Gallia revocatus in Italiam ab excelsa Florentinorum Republica posteaquam stipendium mille quingentorum aureorum in auro pro lectura consequutus fuisset de morte cogitans hoc Sepulchrum sibi fabricari curavit ne posteris suis crederet.

Præmemoratum sepulchrum referatum fuit tempore Archiepiscopi Francisci ex Com. Ilcii; ac plures viri necessitudine mihi conjunctissimi, qui tunc temporis interfuerunt, se vidisse ajunt corpus ejusdem Decii, ac in ipsius capite biretum ex holoserico villoso rubeo

In parte Boreali in Sacello cernitur elegans sepulchrum præstantissimi viri..... de Ammannatis Pisani à supramemorato, ut ajunt, Joanne Pisano exculptum; ubi etiam opere semianaglypto visuntur discipuli, ac Magister in cathedra sedens in actu docentis.

In parte inferiori seu Occidentali cæmeterii supra foccum prominet elegantissimū sepulchrum doctissimi Jo. Francisci Vegii Patritii Ticinensis, & Jurisconsulti clarissimi. Hujus ornamenta marmorea pal. 50. explent, quorum exemplar pro dimidio cernes in d. Tabula 22. ex qua etiam mensuram accipies. Ibidem supra urnam focco incumbentem extollitur Pyramis, ubi ejusdem Vegii effigies inspicitur à prædicto Tribolo una cum cæteris ornamentis pereleganter insculpta. Subter hæc sequens inscriptio in marmore legitur:

D. O. M.

Jo. Francisco Vegio Patritio Ticinensi Jurisconsulto clarissimo, qui ab optimo Duce Cosmo magnis præmiis decoratus per 12. annos

Pisis Princeps in docendo fuit August. F. mar. P. A.M. D. LIIII. vix. an. LXV.

In parte quæ ad Meridiem tendit inspicitur sepulchrale monumentum præstantissimi Viri Paganini Gaudentii Pesclaviensis Philosophi, Theologi, & Jurisconsulti, prout ex sequenti inscriptione liquet.

D. O. M.

Paganino Gaudentio Pesclaviensi incliti nominis Philosopho. Theologo. IV. Conf. probitate naturali, ingenuitate, studio, Reipub. prædito ad exemplum; humanioribus verò literis, & politice ad invidiam quas in Pisano Gymnasio per annos XXI. professus externos multos ad se vocante fama pertractos præfenti eruditione obruit posteros edito multiplici volumine locupletavit, editurus plura, si dies adfuisset, qui de re quacumque consultus indeficientem pandebat ex tempore dissertationis doctissimæ veram de se tantum parcus sic habens fato propinquus, & quasi præsciens.

Rhetia me genuit, docuit Germania, Roma Detinuit, nunc audit Etruria culta docentem.

Obiit Pisis impavidus an. D.CI2.I2.C.II. tertio Non. Jan. natus annos LIII. Bartholomæus Chesius Pis. I.C. & in Pis. Gymnasio I. Civ. Ord. professor executor testamentarius tantam literarum jacturam deplorans. P.

Haud longe visitur sepulchralis inscriptio eruditissimi Viri Petri Angeli Bargei, cujus tenor ita est.

D. O. M.

Petro Angelio Bargeo in Pis. Gymnasio per quamplures annos interpr. eruditiss. Poetæ Oratorique celebr. à Ferdinando Med. Magn. Duce Etrur. III. Patrono Munificentiss. inter suos familiares cooptato opibus, & honoribus aucto Virginia F. mæstiss. memorie, & pietatis ergo P. vixit annos LXXIIX. mens. 10. obiit prid. Kal. Mart. CI2.I2.XCVI.

De-

Demum eodem in agro assurgit vetustissima urna doctissimi Viri Joannis Fa-
feoli. Hanc ex illis Gentilium extitisse au-
tumo, cum in facie ejusdem opere anagly-
pto Meleagri venatio, licet ævi diuturnita-
te non parum corrosa, exprimatur. Operi-
mentum tamen est Christianorum, nam
ibidem opere semianaglypto prominet ca-
theda, ubi sedet Magister; subter plu-

res discipuli audientes conspiciuntur.

Verum, antequam ad alia progredia-
mur, obiter notanda sunt duo vetu-
stissima Pisanæ Civitatis monimenta pa-
rieti infixæ; quorum icones dissertationi-
bus illustratas edidit præmemoratus Em.
Norisius sub præcit. tit. *Cenotaphia Pisana*.
Ex his alterum est Cenotaphium Lucii
Cæsaris Augusti F., & ita habet.

XIII. K. OCTOBR. PISIS. IN.
FORO. IN. AVGVSTEO.
SCRIB. ADFVER Q. PE-
TILIVS. Q. F. P. RASINIVS.
L. F. BASSVS. M. PVPPIVS.
M. F. Q. SERTORIVS. Q. F.
PICA. CN. OCTAVIVS. CN.
F. RVFVS. A. ALBIVS A. F.
GVTTA

QVOD. C. CANIVS. C. F. SATVR-
NIVS. II VIR. V. F. DE. AV-
GENDIS. HONORIVS. L. CAE-
SARIS. AVGVSTI. CAESARIS.
PATRIS. PATRIAE. PONTIFI-
CIS. MAXSVMI. TRIBVNICIAE
POTESTATIS. XXV. FILI. AV-
GVRI. CONSVLIS. DESIGNA-
TI. PRINCIPIS. IVVENTVTIS.
PATRONI. COLONIAE. NO-
STRAE. Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C.
CVM. SENATVS. POPVLI. RO-
MANI. INTER. CETEROS. PLU-
RIMOS. AC. MAXSIMOS. HONO-
RES. L. CAESARIS. AVGVSTI.
CAESARIS. PATRIS. PATRIAE.
PONTIFICIS. MAXIMI. TRIBV-
NICIAE. POTESTATIS. XXV.
FILIO. AVGVRI. CONSVLI.
DESIGNATO. PER. CONSE-
SVM. OMNIVM. ORDINVM.

TETVR. DATA. CVRA. C. CA-
NIO. SATVRNINO. II VIRO. ET.
DECIM. PRIMIS. ELIGENDI.

ASPICIENDIQUE. VTER. EO-
RVM. LOCVS. MAGIS. IDO-
NEVS. VIDEATVR. EMENDVS.
PVBLICA. PVCVNIA. A. PRI-
VATIS. EIVS. LOCI. QVEM.
MAGIS. PROBAVERINT. VTI-
QVE. APVD. EAM. ARAM.
QVOD. ANNIS. A. D. XII. K. SEPT.
PVBLICE. MANIBVS. EIVS. PER
MAGISTRATVS. EOSQVE. QVI.
IBI. IVRI. DICENDO. PRAE-
RVNT. TOGIS. PVLLIS. AMI-
CTOS. QVIBVS. EORVM. IVS.
FASQVE. ERIT. EO. DIE. EIVS.
VESTIS. HABENDAE. INFE-
RIAE. MITTANTVR. BOSQVE.
ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAE-
RVLEIS. INFVLATI. DIIS. MA-
NIBVS. EIVS. MACTENTVR.
EAEQVE. HOSTIAE. EO. LOCO.
ADOLEANTVR. SVPER. QUE-
EAS. SINGVLAE. VRNAE. LA-
CTIS. MELLIS. OLEI. FVNDAN-
TVR. AC. TVM. DEMVM. FA-
CTAM. CETERIS. POTESTA-
TEM. SI. QVI. PRIVATIM. VE-
LINT. MANIBVS. EIVS. INFE-
RIAS. MITTERE. NIVE. QVIS.
AMPLIVS. VNO. CEREO. VNA-
VE. FACE. CORONAVE. MIT-
TAT. DVM. II. QVI. IMMOLA-
VERINT. CINCTI. CABINO.
RITV. STRVEM. LIGNORVM.
SVCCENDANT. ADQVE. EX-
INDE. HABEANT.
VTI. LOCVS. ANTE. EAM. ARAM.
QVO. EA. STRVES. CONGE-
RANTVR. COMONANTVR.
PATEAT. QVOQVE. VERSVS.
PE-

PEDES . XL . STIPITIBVSQVE .
 ROBUSTIS . SAEPIATVR . LI-
 GNORVMQVE . ACERVOS .
 EIVS . REI . GRATIA . QVOD .
 ANNIS . IBI . CONSTITVATVR .
 CIPPOQVE . GRANDI . SECVN-
 DVM . ARAM . DEFIXSO . HOC .
 DECRETVM . CVM . SVPERIO-
 RIBVS . DECRETIS . AD . EIVS .
 HONORES . PERTINENTIBVS .
 INCIDATVR . INSCVLPATVR .
 VE . NAM . QVOD . AD . CETE-
 RA . SOLEMNIA . QVAE . EO-
 DEM . ILLO . DIE . VITARE . CA-
 VERIQVE . PLACVSSSENT .
 PLACERENT . QVE . ID . SE-

QVENDVM . QVOD . DE . IIS . SE-
 NATVS . P . R . CENSVISSET . VTI-
 QVE . PRIMO . QVOQVE . TEM-
 PORE . LEGATI . EX . NOSTRO .
 ORDINE . IMPER . CAESARE .
 AVGVSTVM . PATREM . PA-
 TRIAE . PONTIFICEM . MAXI-
 MVM . TRIBVNICIAE . POTE-
 STATIS . XXV . ADEANT . PE-
 TANTQVE . AB . EO . VTI . CO-
 LONIS . IVLIENSIBVS . COLO-
 NIAE . OPSEQUENTI . IVLIAE .
 PISANAE . EX . HOC . DECRETO .
 EA . OMIA . FACERE . EXSEQUI-
 QVE . PERMITTAT .

Alterum verò est Cenotaphium Caii Cæsaris Augusti F. huius tenoris .

Defunt dies ac mensis . PISIS . IN . FORO . IN .
 AVGVSTEO . SCRIB . AD

FVER . Q . SERTORIVS . Q . F . ATILIVS .
 TACITVS . P . RASINIVS . L . F . BASSVS .
 L . LAPPIVS . P . F . THALLVS . Q . SERTO-
 RIVS . Q . F . ALPIVS . PICA . C . VETTIVS .
 L . F . VIRCVLA . M . HERIVS . M . F . PRI-
 SCVS . A . ALBIVS . A . F . GVTTA . TI . PE-
 TRONIVS . TI . F . POLLIO . L . FABIVS .
 L . F . BASSVS . SEX . APONIVS . SEX . F .
 CRETICVS . C . CANIVS . C . F . SATVRNI-
 NVS . L . OTACILIVS . Q . F . PANTHERA .

QVOD . ADSVNT . CVM . IN . COLONIA .
 NOSTRA . PROPTER . CONTENTIO-
 NES . CANDIDATORVM . MAGISTRA-
 TVS . NON . ESSENT . ET . EA . ACTA .
 ESSENT . QVAE . INFRA . SCRIPTA .
 SVNT .

CVM . AD . IIII . NONAS . APRILES . ALLA-
 TVS . ESSET . NVNTIVS . CAIVM . CAE-
 SAREM . AVGVSTI . PATRIS . PATRIAE .
 PONTIF . MAXSVMI . CVSTODIS . IMPE-
 RI . ROMANI . TOTIVSQVE . ORBIS .
 TERRARVM . PRAESIDIS . FILIVM . DIVI .
 NEPOTEM . POST . CONSVLATVM .
 QVEM . VLTRA . FINIS . EXTREMAS .
 POPVLI . ROMANI . BELLVM . GERENS .
 FELICITER . PEREGERAT . BENE . GE-
 STA . RE . PVBLICA . DEVICTEIS . AVT .
 INFIDEM . RECEPTIS . BELlicosissi-
 MIS . AC . MAXSIMIS . GENTIBVS . IP-
 SVM . VOLNERIBVS . PRO . REPVBLI-
 CA . EXCEPTIS . EX . EO . CASV . CRV-
 DELIBVS . FATIS . EREPTVM . POPV-
 LO . ROMANO . IAM . DESIGNATVM .

IVSTISSIMVM . AC . SIMILLVMVM . PA-
 RENTIS . SVI . VIRTVTIBVS . PRINCI-
 PEM . COLONIAEQVE . NOSTRAE .
 VNICVM . PRAESIDIVM . EAQVE . RES .
 NON . DVM . QUIETO . LVCTV . QVEM .
 EX . DECESSV . L . CAESARIS . FRATRIS .
 EIVS . CONSVLIS . DESIGNATI . AVGV-
 RIS . PRONI . NOSTRI . PRINCIPIS . IV-
 VENTVTIS . COLONIA . VNIVERSA . SV-
 SCEPERAT . RENOVASSET . MVLTIP-
 LICASSETQVE . MOEROREM . OM-
 NIVM . SINGVLORVM . VNIVERSO-
 RVMQVE . OB . EAS . RES . VNIVERSI .
 DECVRIONES . COLONIQVE . QVAN-
 DO . EO . CASV . IN . COLONIA . NEQVE .
 IIVIR . NEQVE . PRAEFECTI . ERANT .
 NEQVE . QVISQVAM . IVRE . DICVNDQ .
 PRAERAT . INTER . SESE . CONSENSE-
 RVNT . PRO . MAGNITVDINE . TAN-
 TAE . AC . TAM . IMPROVISAE . CALA-
 MITATIS . OPORTERE . EX . EA . DIE .
 QVA . EIVS . DECESSVS . NVNTIATVS .
 ESSET . VSQVI . AD . EAM . DIEM . QVA .
 OSSA . RELATA . ATQVE . CONDITA .
 IVSTAQVE . EIVS . MANIBVS . PERFE-
 CTA . ESSENT . CVNCTOS . VESTE .
 MVTATA . TEMPLISQVE . DEORVM .
 IMMORTALIVM . BALNEISQVE . PV-
 BLICIS . ET . TABERNIS . OMNIBVS .
 CLAVIS . CONVICTIBVS . SESE . APSTI-
 NERE . MATRONAS . QVAE . IN . CO-
 LONIA . NOSTRA . SVNT . SVBLVGERE .
 DIEMQVE . EVM . QVO . DIE . C . CAE-
 SAR . OBIT . QVI . DIES . EST . A . D . VIII .
 K . MARTIAS . PRO . ALLIENSI . LVGV-
 BREM . MEMORIAE . PRODI . NOTARI-
 QVE . IN . PRAESENTIA . OMNIVM .
 IVSSV . AC . VOLVNTATE . CAVERI-
 QVE .

QVE . NE . QVOD . SACRIFICIVM . PV-
BLICVM . NEVE . QVAE . SVPPPLICATIONES . NIVE . SPONSALIA . NIVE . CONVIVIA . PVBLICA . POSTEA . IN . EVM . DIEM . EOVE . DIE . QVI . DIES . ERIT . A . D . VIII . K . MART . Fiant . CONCIPiantVR . INDICANTVRVE . NIVE . QVI . LVDI . SCAENICI . CIRCIENSESVE . EO . DIE . Fiant . SPECTENTVRVE . VTIQVE . EO . DIE . QVOD . ANNIS . PVBLICE . MANIBVS . EIVS . PER . MAGISTRATVS . EOSVE . QVI . PISIS . IVRE . DICVND . PRAERVNT . EODEM . LOCO . EODEMQVE . MODO . QVO . L . CAESARI . PARENTARI . INSTITVTVM . EST . PARENTETVR .
VTIQVE . ARCVS . CELEBERRIMO . COLONIAE . NOSTRAE . LOCO . CONSTITVATVR . ORNATVS . SPOLEIS . DEVICTARVM . AVT . IN . FIDEM . RECEPTARVM . AB . EO . GENTIVM . SVPER . EVM . STATVA . PEDESTRI . IPSIVS . TRIUMPHALI . ORNATV . CIRCAQVE . EAM . DVAE . EQVESTRES . INAVRATAE . CAI . ET . LVCI . CAESARVM . STATVAE . PONANTVR .
VTIQVE . CVM . PRIMVM . PER . LEGEM . COLONIAE . DVO . VIROS . CREARE . ET . HABERE . POTVERIMVS . II . DVO . VIRI . QVI . PRIMI . CREATI . ERVNT . HOC . QVOD . DECVRIONIBVS . ET . VNIVERSIS . COLONIS . PLACVIT . AD . DECVRIONES . REFERANT . EORVM . PVBLICA . AVCTORITATE . ADHIBITA . LEGITVME . ID . CAVEATVR . AVCTORIBVSQVE . IIS . IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERATVR . INTEREA . T . STATVLENVS . IVNCVS . FLAMEN . AVGVSTALIS . PONTIF . MINOR . PVBLICO-

RVM . P . R . SACRORVM . ROGARETVR . VT . CVM . LEGATIS . EXCVSATA . PRAESENTI . COLONIAE . NECESSITATE . HOC . OFFICIVM . PVBLICVM . ET . VOLVNTATEM . VNIVERSORVM . LIBELLO . REDDITO . IMP . CAESARI . AVGVSTO . PATRI . PATRIAE . PONTIF . MAXIMO . TRIBVNICIAE . POTEST . XXVI . INDICET .
IDQVE . T . STATVLENVS . IVNCVS . PRINCEPS . COLONIAE . NOSTRAE . FLAMEN . AVGVST . PONTIF . MINOR . PVBLICORVM . P . R . SACRORVM . LIBELLO . ITA . VTI . SVpra . SCRIPTVM . EST . IMPERATORI . CAESARI . AVGVSTO . PONTIFICI . MAXIMO . TRIBVN . POTEST . XXVI . PATRI . PATRIAE . REDDITO . FECERIT . PLACERE . COPSCRIPTIS . QVAE . AD . III . NONAS . APRILES . QVAE . SEX . AELIO . CATO . C . SENTIO . SATVRNINO . COS . FVERVNT . FACTA . ACTA . CONSTITVTA . SVNT . PER . CONSENSVM . OMNIVM . ORDINVM . EA . OMNIA . ITA . FIERI . AGI . HABERI . OPSERVARIQVE . AB . L . TITIO . A . F . ET . T . ALLIO . T . F . RVFO . II VIRIS . ET . AB . EIS . QVICVMQVE . POSTEA . IN . COLONIA . NOSTRA . II VIR . PRAEFECTI . SIVE . QVI . ALI . MAGISTRATVS . ERVNT . OMNIA . IN . PERPETVOM . ITA . FIERI . AGI . HABERI . OPSERVARIQVE . VTIQVE . L . TITIVS . A . F . T . ALLIVS . T . F . RVFVS . II VIRI . EA . OMNIA . QVAE . SVPRASCRIPTA . SVNT . EX . DECRETO . NOSTRO . CORAM . PRO . QVAESTORIBVS . PRIMO . QVOQVE . TEMPORE . PER . SCRIBAM . PVBLICVM . IN . TABVLAS . PVBLICAS . REFERENDA . CVRENT .
CENSVERE .

Nec silentio prætereunda est pars columnæ miliariae in medio prædictarum tabularum prominens . Hæc prope viam Æmiliam ad Pisanum mare vergentem in loco vulgò nuncupato *Rimazzano* reperta fuit ; ac in ea sequentia verba sculpta sunt

CÆS. I. AEL.



ADRIANVS . ANTONINVS . AVG . PIVS . M . TR . P . VI . COS . III . IMP . II . PP . VIAM ÆMILIAM . VETVSTATE . DILAPSAM . OPER . AMPLIATIS . RESTITVENDAM . CVR . A . ROMA . M . P . CLXXXVIII .

Hoc est

CAESAR IMPERATOR AELIVS
ADRIANVS . ANTONINVS . AVGVSTVS . PIVS . PONTIFEX . MAXIMVS . TRIBVNITIA . POTESTATE . VI . CONSVL . III . IMPERATOR . II . PATER . PATRIÆ . VIAM . ÆMILIAM . VETVSTATE . DILAPSAM . OPERIBVS . AMPLIATIS . RESTITVENDAM . CVRAVIT . A . ROMA . MILLIA . PASSVVM . CLXXXVIII .

De similibus titulis luculenter ac erudite scripserunt laudatus Paulus Pedrusius to. 1. & 2. Cæsar. & Joan. Rosinus Antiq. Rom.

De



*Scenographia Figurarum Capitis et Ponticis
Lateris Camerarii Basilicae Pisanae*

Petrus VanSickelaers sculp. sup. per.

Joseph et Francis. fr. Milani delin. Pisis

De Cœmeterii Picturis.

CAPUT XIX.



EGI MUS supra de tumulis, & sepulchris in particulari, restat modo de Picturis aliquid differere, cum illis, ut annuimus, omnes ejusdem Cœmeterii parietes insigniti conspiciantur. Ut autem Sacræ Historiæ ibidem expressæ genuinum ordinem sequamur nulla temporis Artificum habita ratione à primo Mundi exordio initium sumemus. Latus itaque ad Boream ingredientis primo sese offert aspectui prægrandis Æterni Patris effigies, qui brachiis extensis Angelorum Hierarchias, Cœlorum orbes, Elementa, omnemque Terræ molem ostendit. Hanc Tabulam unâ cum D. Augustini, ac D. Thomæ Aquinatis imaginibus in inferioribus angulis expressis Bonamicus Bufalmacchus Florentinus pereleganter delineavit, & hos sequentes versus ad majorem invisibilis Dei notitiam idem, ut opinor, subter apposuit:

*Voi che avisate questa Dipintura
Di Dio pietoso Sommo Creatore
Lo qual fè tutte cose con amore
Pesate, numerate, & in misura.
In nove gradi Angelica natura
Inello Empirio Ciel pien di splendore
Colui che non si muove, ed è Motore
Ciascuna cosa fece buona, e pura.
Levate gl'occhi del vostro intelletto
Considerate quanto è ordinato
Lo Mondo universale, e con affetto.
Lodate lui che l'hà sì ben creato
Pensate di passare à tal diletto
Trà gl'Angeli dov'è ciascun beato.*

Deindè occurrit tabula, ubi Deus ex informi creata materia creaturarum species distinguit, ad quarum usum hominem creat, cunctaque illi creata subiicit, ut in Genes. cap. 1.

Sequitur & altera rabula, ubi Deus hominem in Paradisum variis arboribus, &

fluminibus insignitum tranfert, cui Evam ex ipsius costa in adiutorium format, ut ex Cap. Gen. 2.

In eadem Tabula indicatur quando Serpentis astu seducti parentes, dum Dei præcepta contemnunt, indicta singulis pœna è Paradiso pelluntur, ut in capitul. 3. Genes.

In sequenti visuntur Sacrificia Caim & Abel, quorum primum à Deo reprobatum, secundum verò Abel excipitur, ut ex Genes. cap. 4. ac ibidem sequentia verba cernuntur. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Caim verò, & ad munera ejus non respexit.* Hic ex uno latere exhibetur Abel à fratre occisus; ex alio latere, fortasse ut magis exprimeretur illud ejusdem Geneleos, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra dele* cernitur sanguis ad Cœlum usque ascendens cum effigie ipsius Abel in actu deprecantis. Hanc, & supprælatas Tabulas accurato penicillo idem Bufalmacchus efformavit.

In Tabula seu quadrato proximo habetur, quando diluvii causam hominis peccata dederunt, & Arca salutis fabricanda à Domino mandatur, ut in Gen. cap. 5. Hanc Tabulam cum sequentibus usque ad illam Reginæ Sabæ in fine hujus lateris egregiis coloribus Benozzius Gozzoli Florentinus ad vivum expressit, ut notat Vasarius part. 2. pagina mihi 307. Iconem verò supra duo Oratoria nimirum illa, ubi cernitur Regum Magorum adoratio, & altera, ubi exprimitur Deiparæ Virginis Incoronatio, nî fallor, à Taddeo Bartholo artificiose delineatæ sunt.

Indè sequitur quum recedentibus aquis diluvii à facie terræ Arca Domini post corvi, & Columbæ emissionem omnia contenta ejicit; Noe verò ara extructa Deum holocausto placat. Gen. cap. 8.

In initio ordinis seu lineæ inferioris ostenditur Noe propè vineam ebrium, ac nudum jacentem Cham filius ridens, unde Cham maledicatur; Sem verò, & Japhet fratres, ex quo illum cooperuerint,

K

be-

benedictione replentur, prout in cap. 9. & 10. Genes.

In alia Tabula exprimitur Turris Babel ædificatio, ubi superbiorum fastus, & lingua confunditur, ut in Gen. cap. 11.

In sequenti exhibetur quando Abram, & Lot Ægyptum ingressi præ nimia opulentia separantur Gen. cap. 13.

In Superiori tabula visitur bellum, ubi quatuor aperto Marte quinque vicerunt Reges, cum reliquis in cap. 14. Genes. relatis.

In proxima Deus Abrahæ de posteritate desperanti filium promittit, cui credens Abram justificatur, & in signum promissæ Terræ offert Domino sacrificium, ut Genes. cap. 15.

Deinde sequitur quando Agar ancilla Sarai Dominæ permissu se ex Abram concepisse videns Dominam contempsit, undè ab illa afflictâ fugere coacta est, sed jussu Angeli Dominæ submissa postmodum Ismaelem peperit, ut ex cap. Gen. 16. & 17.

In altera icone designatur Abram quum tres Angelos excepit hospitio filium eidem de Sara promittentes, ut Gen. cap. 18. Tabula verò Superior Sodomæ incendium, & uxorem Lot in Statuam Salis conversam non rudi arte demonstrat, ut ex Gen. cap. 19.

Alter, qui subiicitur iconismus ejusdem Abrahæ gesta continuat; ibi natus Isaac ablaçtatur; Ismael verò cum matre domo pellitur in desertis victurus, ut Gen. cap. 21. Item Abraham Dei mandatis obtemperans filium suum super struem lignorum impositum in holocaustum offert, ut ex Genes. cap. 22. Hoc in loco etiam cernitur asellus singulari nota descriptus à Vasario part. 2. fol. mihi 313.

Deinde sequuntur historiae Isaac & Jacob, ubi inter cætera repræsentatur Isaac pro uxore sterili deprecans Dominum, qui exaudivit eum, deditque conceptum Rebeccæ, quæ peperit Esau & Jacob, quorum major vèdidit primogenita minori, ut Gen. c. 25. Item continetur quando idem Isaac in Geraris peregrinatus Rebecam dicens Sororem suam repræhenditur ab Abimelech, ut Gen. cap. 26. Item exponitur Jacob per matris astutiam benedictionem loco sui fratris Esau ab Isaac patre extor-

quens, ut Genes. cap. 27.

In Superiori iconismo affabrè exprimitur Jacob in somnis scalam videns, cui scalæ innititur Dominus, ut ex Genes. cap. 28. Item non inconcinne ostenditur Esau Fratri Jacob occurrens, ut in Genes. cap. 33. Nec incomptè repræsentantur Simon, & Levi ob Dinæ raptum Sichimitas prius circumcisos interficientes; ut in cap. 34. ejusdem Genes.

In sequentibus tabulis cernitur historia Joseph. Ex his præceteris singulari animadversione digna cèsetur tabula, ubi Joseph somnia fratribus narrat; quare fratrum odium in se concitans venditur Ismaelitis Ruben in scio. Nec non & altera, ubi ostenditur quando Joseph cuncta prospera succedunt dum ageret apud herum Putipharem, donec à domina frustra interpellatus apud Dominum adulterii accusaretur, ut in cap. 39. Nec minoris ponderis est iconismus, ubi idem Joseph somnia Pharaonis de bobus, & spicis interpretatus toti Ægypto præficitur, ut in Genes. capit. 41. Hic visitur satis elegans architecturæ prospectus, ac ibi sequentia carmina in laudem Pictoris delineata sunt.

Quid spectas volucres, Pisces, & monstra ferarum?

Et virides Silvas, æthereasque domos?

Et Pueros, Juvenes, Matres, canosq; Parentes,

Quis semper vivum spirat in ore decus.

Non hæc tam variis finxit simulacra figuris

Natura ingenio fætibus apta suo.

Est opus artificis; pinxit viva ora Benozzus:

O Superi vivos fundite in ora sonos.


Posthæc continuantur historiae Jacob, & Joseph. Deinde sequuntur aliæ Moysis, Balaam, &c. In harum Iconibus plura notanda sunt, & præcipuè Pharaon quando Israelem persequens, & mare rubrum ingrediens cum equitatu & curribus submergitur; ut Exod. capitul. 14. Item, Regina Saba quum Regem Salomonem adit multo cum comitatu, & divitiis, ut ex Reg. cap. 10. Observandum est hîc quod in prædicto comitatu alter, qui signum in bireto defert, ipsius artificis Benozzi effigiem ut ajunt repræsentat. In parte antica, seu in capite ejusdem Cæmeterii sequitur hîsto-

HISTORIA D. RAYNERIJ CONFESSORIS PISANI in Meridionali latere Cameterij Basilica Pisanae saeculo XIII. depicta, et

Italico idiomate ac peruetusto characterè expressa.



Come il B. Ranieri sonando uno strumento persuadendo il Beato Alberto per Cranello sue ammonito del non ro-
nuare, e subito seguito il Beato Alberto e convertito tanto pueri che duento cieco, e come sopra a loro appar
us uno emuvarato lume, et illuminato li disse, Dio ti ha eletto, et atti perdonato



Come il Beato Ranieri andò oliv'e mare con la sua mercantia e forte pucando cognoue per spirito che a Dio pi
accusa che lassare il Mondo, onde dispensò il suo a poveri e ueturi d'una schiavina, e da lui uetchi fue appresen
tato dinanzi nostra Donna dicendoli Ranieri tu ripoverai nel mio Grimbondella Città di Pisa



Come il Beato Ranieri, sette sette anni oliv'e mare, e fece br' quarant'que nella Terra Santa, et in Nazareth orò
per quei Preti e dal demonio ebbe molte tentationi et Leonor, jeroci a lui duentorno manruete, et sul monte
Tabor Christo l'apparue con. Moise et Helia e d'un pane sato miracolosamente dieci poveri



Ammonito da Dio il Beato Ranieri che dovesse tornare alla sua Patria fu accompagnato con pi-
atto univierale suo a doue doueva imbarcare e reco portando la scrittura Santa in mano in unuigo
andando a Mesana, doue sbarcato conobbe che un Vinculo uentava pui acqua che uero e miracoloso
mente fece separare l'acqua dal uino essendogliene stato uotato di suo ordine nel mantello, e do
mandò al Vinculo: Hora uedi quel diavolo in forma di gatta che ti inganna, e compiuto si
conuertì, e come tornato a Pisa riceuette refettione da Canonici che erano andati ad incontrarlo
Joseph et Franc. Milani del.



Come essendo pasrato da questa all'altra Vitz il Beato Ranieri nella Cappella della Badia di San
to Vito, et essendo recato al Duomo dal Clericato con grande solennitate di Cittadini con visfate lu
ma in mano fece dimolli, e uary miracoli conando etiamdilo le campane di Pisa da per loro stesse,
e molti altri miracoli li quali appariscono nella sua leggenda Amen



Come essendo porto il Beato Ranieri nella Chiesa maggiore di Pisa alla tomba sua uenendo mol
ti infermi di duerce infermitadi, fuo tutti liberati, et un fanciullo morto essendo caduto da alto
fu ruscitato, e come una naue essendo assalita da terribil tempesta fu liberata per esser stato in
plorato il Duino aiuto e gettata nel mare da un Pirano un poco d'acqua benedetta del Santo
mentre subito si fece il mare tranquillo

storia Regis Oziæ, ac altera Regis Balthasaris; Quæ omnia fuerunt per Zacchariam Rondinosium non obscure depicta. In parte verò postica, seu inferiori repræsentatur historia Judith ab Equite Guidotto expressa; nec non & illa Regis Assueri, ac altera Reginae Ester ab Augustino Massa, juxta verò aliorum sententiarum, à Baccio Lomio Pisano accurate elaborata.

Parietum pars altera ad Meridiem exhibet fortissimi Job celebrem historiam ab egregio viro Jotto Florentino elegantibus coloribus delineatam, ac in sex tabulas divisam. In harum tabularum proxima inter cætera singulari animadversione digni censentur Nuntii malum, quod acciderat Job significantes, cum pastorū more induti dolorem ob amissos ovium greges, aliaque detrimenta susceptum ad vivum exprimāt. In aliis tabulis etiam peculiari nota dignus est idem Job ulcere pessimo percussus saniem sibi testa radiens in sterquilinio. Cæteræ quoque figure, ut inquit, idem Vas. part. 1. fol. mihi 123. præcipuè in capitibus accuratis delineationibus exprimuntur, & eam Jotto famam tunc temporis pepererunt, ut summus Pontifex Benedictus XI. dictus XII. eundem accersiri jussit, ut in D. Petri augustissimo Templo suo penicillo Sacras Historias efformaret. Prædictarum figurarum vestes ab injuria temporum læsas vel falsedine rosas Joannes Stephanus de Marucellis circa dimidium Sæculi nuper elapsi elegantibus coloribus reaptavit.

Post vitam Job sequuntur plurimum SS. Martyrum, & Confessorum celeberrima gesta: deindè quatuor Novissima, nimirum Mors, Judicium, Infernus, ac Paradisus; ac demum in ipsius Cæmeterii facie Domini nostri Servatoris Crucifixio, ejusdemque gloriosissima Resurrectio. In præmemoratis proximis SS. Martyrum iconibus occurrunt, Sanctorum Ephisi, & Potiti fortissima gesta ab insigni viro Spinello Aretino egregiis coloribus depicta. In harum altera ostenditur Sanctus Ephesus quando ab Imperatore Generalatus insignia contra Christi fideles excipit, ac postmodum divinitus, ne Jesum Christum persequeretur admonitus Vexillum fidei cum Cruce alba in campo rubeo de manu Angeli suscipit. In cæteris iconismis varia ipsorum Martyrum tormenta, ac eorundem Sanctorum

Corporum Pisas ex insula Sardinia translatio satis accurate efformantur. De hac traslatione libet adnectere quod cecinit Salvator Vitalis Ecloga 2. de mystica Sardinia fertilitate.

*Pisani rapuere, pavor Mavortius orbis
Sardinie rerum Domini, dum Rege sub armis
Museto extincto, sub amica silentia noctis
Sacrum onus imponunt Navi, aurisque secundis*

*Deveniunt Arni fauces, clerisque paratis
Præsule turrato, coram fulgente corona
Magnatum, populis, & majestate Senatus
Mole togarum, sacratum funus ab undis
Eductum cantante Choro, mulcentibus auris.*

*Omnigenis fidibus redolente vaporibus ora
Alma in tecta ferunt, & Sanctæ Matris eburna*

Virginis æde locant: aulam circa ilia Templi

Forniceam condunt inclusas murice, & auro

*Stellatis urnis, Ephisi de more piorum
Reliquias Danaï, Calaritanique Potiti
Custodia seris, munitaque clavibus ossa
Antiquo pro jure tenent, pro jure tuentur.*

*Magnus erat quondam Pisis florentibus urbe
Erga isthæc zelus clarissima lumina mundi
Potitum, Ephisum: quin & solemnia soles
Festa per octo solent (olim meliora solebant)
Sæta celebrari miris illustra signis.*

In sequentibus sex tabulis præclaram D. Raynerii Confessoris Pisani vitam egregie delinearunt Simon Memmius Senensis, & Antonius vulgò nuncupatus *il Vene-tianino*; quorum alter floruit circa dimidium 13. sæculi; alter verò circa finem. In harum tabularum prima plura notanda sunt, ac præceteris D. Raynerius psalterio speciosissimas Fæminas ad saltum excitans, qui postmodum à B. Alberto admonitus ob patrati criminis mœrorem ingentes lacrymas emittit. In altera idem Sanctus exhibetur bona pauperibus distribuens proxime Navim ingressurus; ibi inter cætera commendantur claudi, cæci, pauperes Fæminæ cum pueris; siquidem omnes revera eleemosynas petentium, gratæque rependentium actus optime demonstrant. In sequenti icone visitur B. Virgo

quando in Civitate Tyri eidem Raynerio apparuit, ut supra indicavimus pag. 37. In altera idem Vir Dei repręsentatur in Monte Thabor celesti Numinis cum Moyfi, & Elia apparitione recreatus. In cęteris quadratis à laudato Antonio *Venetiano* depictis perpolite designatur D. Raynerius in Navi ad Patriam reversurus. Plures etiam figurę visuntur affabre stupore perfusę, dum Vir Dei cuidam Cauponi diabolum ostendit dolio sub felis forma insidentem, & aquam à vino divinitus sejunctam in terram cadentem. Nec minorem considerationem efflagitat quadratum, ubi servi Dei obitus exprimitur; ibidem cantorum cętus circa feretrum mirabilis, nam omnes canentium cum oris, tum corporis gestus pereleganter efformant. Turba quoque innumera pauperum, cęcorum, claudorum, & eorum, qui dum sacrum corpus ad majorem Ecclesiam ferebatur sanitatem exceperunt, scite coloribus elaborata est. Has prędictas icones, quę non parum, ut ajunt, profuerunt ob illarum antiquitatem pro indulto recitandi lectiones proprias in officio ejusdem Sancti, cum alicubi edaci temporis morfu vel falsedine corrosę sint, ære incidendas curavimus; quarum tres penitus absolutas in tabula 27. habebis. Inde sequuntur Sanctorum Patrum vitę mirabili artificio expressę; ac primò visuntur varia Abbatis Paphnutii gesta, ab eodem Antonio Venetiano eleganter delineata. Hoc in loco dignam judicavimus, quę rerum antiquarum studiosos non dimittat, proximam inscriptionem Rolandi Canonici Pisani. Hunc extitisse ferunt eundem, qui postea in Apostolico Throno Alexander III. appellatus est. Verba inscriptionis hæc sunt:

Ego Rolandus Canonicus, & Diaconus ad honorem Dei, & Beatę Marię prę remedio animę meę ad exemplum multorum hanc domum meis stipendiis à fundamento construxi in qua Reliquias Martyrum Viti, & Antonini ad ejusdem tutelam recondidi. Si qua igitur Ecclesiastica, secularisve persona hanc domum ab hospitali pauperum Mulierum alienare voluerit perpetuę anathemati subjacebit. Sicque factum est anathema à Canonicis, & Clero Civitatis anno Domini

M. C. XLVIII. Sit Rolando requies, Pax, vita phennis.

Monimentum hoc erat olim infixum externo parieti parvę domus existentis in viam quam vocant S. Marię, ubi in loculamento prope fenestras assurgit simulacrum Deiparę Virginis Filium amplexantis è contra Hospitale vulgò nuncupatum *Spedale de Trovatelli*: huc ad majorem antiquitatis tutelam translatum fuit, ut ex lapide renovato in veteri loco accipies. In aliis deinde iconismis plures Religiosi in solitudine cernuntur; alii, nimirum in monte divinis contemplationibus dediti; alii operationibus ad victum sibi parandum intenti accuratè repręsentantur. Hic sanè plura notanda essent, dum omnes figurę à celeberrimo Viro Petro Laureato Senensi affabrè expressę sunt; verum brevitati indulgentes ab illarum descriptione abstinemus.

Proximè sese offert tormentorum domus ab insigni Bernardo Orgagna Florentino depicta. Hic varia pęnarum genera, innumeraque damnatorum tormenta artificiose delineata sunt; Et quidem in medio, veluti in cathedra flammis undequaque manantibus diabolus mirę magnitudinis insidet, & aliorum demonum actiones, animarumque cruciatus ignitis oculis inspicit.

In proximo quadrato exprimitur Judicium ab Andrea Orgagna supradicti Bernardi fratre eleganter efformatum. Ibi prominet magna sedes ab aliis Apostolorum subselliis sejuncta, ubi Christus Dominus cum majestate insidet. Hinc inde Angeli, quorum alii Crucem, alii spineam coronam, alii lanceam, disciplinas, funes & alia Sacra Passionis instrumenta demonstrant. Non procul assidet Beatissima Virgo; Inferius tam à dextris, quàm à sinistris Sanctorum ac Sanctarum cętus exultant; In plano in parte dextera electorum multitudo, astat in sinistra damnatorum turba ad tartara dejicitur; in medio verò visuntur sepulchra è quibus mortuorum corpora animabus conjuncta resurgunt. Hic quemdam hypocritā electorum cętui sese conjungentem ad reproborum locum ab Angelo rejectum; Salomonem autem, cu-

jus

jus salus incerta habetur, pictoris solertia neque à dextris, neque à sinistris, sed ipsum è sepulchro egredientem sedulò effinxit. In Justorum cætu præmemoratus artifex plures pinxit amicos & benefactores, inter quos, ut inquit Vasarius, Summi Pontificis Innocentii IV. effigiem efformavit.

In proxima icone Mortis triumphus ostenditur, ubi sequentia verba leguntur.

*Schermo di sapere, e di ricchezza
Di nobiltate, e di prodezza
Val niente al colpo di costei.*

Per aerem deformissimæ vetulæ formam præferens falce elata, nigrisque alis in actu volantis Mors eminet. Subter prominet magnus cadaverum acervus; ubi Pontifices, Imperatores & Principes cum pauperibus, servis & rusticis confusim alter super alterum inspiciuntur. Ex Justorum ore animas sub humano corpore ab artifice expressus Angeli excipiunt; Diaboli verò è reproborum oribus illas abstrahunt. Non procul visitur Turba claudorum, pauperum, ac senum mortem ipsam enixe, ut eorum miserrimæ vitæ diem solveret extremum, exorantium. At illa eorundem preces respuens ad alios falcem dirigit, nimirum ad juvenes, qui in viridario inter sonitus & cantus una cum fæminis psallentes vitam in deliciis degunt, ex his alterum qui manu accipitrem sustinet, Castrucci Ducis effigiem præferre ajunt. Suprà proximum montem cernuntur plures senes mortem continuo expectantes. In angulo inferiori tres visuntur arcæ, ubi tria regum mortuorum corpora jacent, quorum alterum est uti recens, alterum inflatum, tertium verò ossa denudata demonstrat. Quibus arbitror peritum artificem ostendere voluisse hujus terræ virtutem, 24. horis corpora in pulverem redigentem, ut cecinit Nathan Chytræus his versibus.

*Antiqui Splendoris ad hoc monumēta supersunt.
Incluta, marmoreis fulgentia tecta columnis
Turris, & inclinata foris minitansque ruinam,*

*Pendula recta intus si videris, area longa
Gloria Romani Decius, qua maxima juris
Conditus est, ubi vicens, & quatuor horis
Corpora consumi memorant his obruta terris.*

In has prædictas arcas oculos figunt plures viri equis insidentes, quorum alter, qui sibi nares claudit Ludovicum Bavarum, ut ajunt, repræsentat; alter Uguccionem vulgò *della fagiola*, Tertius verò Imperatorem Fridericum vulgò *Barbarossa*. Non procul hinc die Commemorationis omnium fidelium defunctorum è plano pavimenti attollitur funebris Thronus, sub quo ara confurgit, ubi Missa solemnis pro defunctis celebratur cum interventu totius Cleri, qui etiam post secundas Vesperas Festivitatibus omnium Sanctorum huc processionaliter accedit ad Vesperas pro iisdem defunctis recitandas maximo populi concursu.


Proximum quadratum in fronte ejusdem Cæmeterii affabrè ab eodem Buffal-macco delineatum fuit. Hic Primogenitus mortuorum, Christus Dominus cum latronibus è Cruce pendet; Juxta Crucem visitur Beatissima Virgo dolore transfixa, ac à longè plures, qui Crucifixionem spectaverunt militum revertentes turbæ conspiciuntur. In altero iconis latere ejusdem Redemptoris resurrectio repræsentatur, ubi sequentia verba appicta sunt.

*In Resurrectione tua Christe
Cæli, & Terra latentur alleluja.*

Ac non procul in eadem icone cernitur etiam Domini gloriosissima Ascensio, ubi pariter hæc verba visuntur.

*Omnes gentes plaudite manibus jubilate
Deo
Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in
voce tubæ.*

Quæ quidem verba hoc in loco fortasse ad mortis etiam timorem ablegandum fuerunt expressa; nam si Christus Dominus



Prospectus in
terior Cemetery
Basil. Pisane

Dominic. Marianus Franceschini Sculp. Romæ super. perm.

Bartholom. Santini delin.

resurrexit, ita & nos resurgemus; omnia, inquit, D. Augustinus Serm. 3. de Ascens., quæ Dominus Iesus in hoc mundo sub fragilitate nostra miracula edidit nobis proficiunt: qui dum humanam conditionem syderibus importavit, credentibus Cælum patere posse monstravit; & dum victorem mortis in cœlestia elevavit, victoribus quò sequantur ostendit. Quia igitur, ut inquit S. Leo Serm. 1. de Asc.

Dom. Christi Ascensio nostra provectio est, & quo processit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis; dignis exulemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur.

Hujus elegantissimi ædificii, ut melius concipiatur dispositio, interiore illius Prospectum juxta regulas ejusdem laudati Viri Andreæ Putei Societ. Jesu delineatum, oculis subjiciemus.